

USUS E VERSU XII.

(1) *DEus uti nunquam dormit* (Psal. CXXI, 4.) *ita nunquam etiam obliviscitur suorum fidelium, sed ipso opere se semper memorem nostri contestatur.* Psalm. CXIII, 6. CXXXIX, 15. Jes. XLIX, 14. *L. de Omniscentiâ & Providentiâ.*

(2) *Benedictio Dei non est verbalis; sed realis, complectens omnem boni collationem malique depulsionem salutarem. Ab hac una omnis vera felicitas. Fundatur autem ipsa in semine Benedictio: Ephes. I, 4. & post se trahit hereditatem caelestem: Matth. XXV, 34.*

USUS E VERSU XIII.

(1) *Disparitas aetatum, dignitatum, domorum, semper extitit inter Dei cultores: dantur magni, dantur parvi.*

(2) *Nemo igitur despiciat parvum; nemo invidet magno. Quisque*

(3) *Sit sorte sua contentus, sciens, cuncta nostra dependere ex mera DEi voluntate sancta.*

(4) *Apud DEum nulla personarum acceptio.*

USUS E VERSU XIV.

(1) *Inexhaustus est divinae bonitatis fons: non contenta est ipsa, fecisse boni initium, sed addit quotidie incrementa nova, donec perficiat: 1. Petr. V, 10. 1. Cor. I, 8. Phil. I, 6. 1. Thess. V, 24. habenti dabitur: Luc. XIX, 26.*

(2) *De parentum bonis participant etiam Filii non degeneres: Exod. XX, 6.*

USUS E VERSU XV.

[1] *Elogium soli DEo vero competens est, fecisse caelum & terram: Jerem. X, 11.*

[2] *Qui dedit esse, conservat illud, & dat quoque bene esse, b. e. benedicere potest universis: Genes. I, 28.*

PSALMI CXVI. DISPOSITIO.

Liberatus credo, calicem bibam. Calix salutis. Crux confessionis comes.

Est hinc I. Sancta ob div. exauditionem oblectatio: ubi (1) gaudium: *dilexi vel delectat.* (2) *Deus audiens,* (3) *auditum,* *vox mea flebilis: v. 1.* (4) *auditio ipsa: inclinatur mihi aurem suam;* (5) *tempus: quotiescunque in diebus meis ipsum invoco: v. 2.* *quoties extreme periclitor: v. 3.* (6) *modus precum: ah Domine eripe animam meam! v. 4.* (7) *consequens: (a) gratiosum expertus sum Dominum, iustum, commiserantem: v. 5. (b) custodientem simplices: (c) exhaustas salvantem: v. 6. (d) animam meam tranquillantem: (e) beneficientem: v. 7. (f) à morte eripientem: (g) fletus finientem: (h) pedem à lapsu praeservantem; v. 8. (i) incessum in terrâ viventium coram Deo concedentem: v. 9.*

II. Ingenua status proprii expositio: (1)

USUS E VERSU XVI.

(1) *De Caelorum eminentia, vastitate, influxu, motu, regularitate, splendore aliisque axiomatibus; docebunt te Physici: solus autem imperat isdem DEus, ò quantus Dominus!*

(2) *Hominum vis omnis exiguo terrae spatio circumscribitur.*

(3) *Terrae usus homini concessus, unà cum omnibus in eâ animantibus inanimatorumque subterraneis, ad debitam nos jugiter exstimulabit gratitudinem administrationemque decentem.*

(4) *Terra filiis hominum data est, non promiscuè, sed certis cuique fixis limitibus, vi septimi praec.*

USUS E VERSU XVII.

[1] *Mortui, relicto semel hoc seculo, non amplius participant de terra commodis incommodisque, nec etiam laudant DEum in caetu viventium; laudant tamen ipsum inter caelites horummet animae.*

[2] *Age igitur, quantum potes & debes; antequam moriaris: Cohel. IX, 10.*

[3] *Locus silentii est sepulchrum. Silere igitur, linguamque decenter reprimere, & in Deo bene quiescere (Jes. XXX, 15.) discamus, antequam sepeliamur; Psalm. VI, 6. CXVIII, 17.*

[4] *Mortem deprecari praeproperam illicitum haut est: Jes. XXXVIII, 2. Psal. CII, 25.*

USUS E VERSU XVIII.

(1) *Benedicendum Domino hilariter, pectore devoto, humili, grato, &c. juxta II. praec.*

(2) *Non sufficit, talia vel dicere vel canere diebus festivis aut hilaribus, sed ex nunc & usque in seculum tractandum hoc officium.*

Credidi, in fide meâ ad Deum constans permani: (2) *locutus vel professus sum fidem meam: (3) valde ob id afflictus v. 10. (4) in quâ ipsâ meâ consternatione simul deprehendi, nulli omnino homini confidi posse: v. 11.*

III. *Gratitudinis pollicitatio: ubi (1) quaestio: quid rependam pro cunctis Dei erga me beneficiis? v. 12. (2) responsio: (a) calicem salutis accipiam: (b) nomen Domini predicabo: v. 13. (c) Vota mea exsolvam Domino publice: v. 14. (3) Impellens ratio: tum mors sanctorum in oculis DEi pretiosa: v. 15. tum flebiliter invocantis liberatio è vinculis gloriosa: v. 16. Hinc denuò redit ad praestanda: (d) sacrificium laudis adducam: (e) nomen Domini extollam: v. 17. (f) vota mea palam expediam: v. 18. 19.*

PSALMUS CXVI.

Ad Davidis, à Saule liberati, & ad regnum evecti tempora, hymnum hunc refert R. Salomo, ad captivos ante adventum Mesia, R. Obadia. ad tempus introducta in Sion arca, 2. Par. VII, 1. Muis, ob vers. 19. Judicet pius lector, usurpetque pie, cum datur tempus.

EXPLI-